

taverim. Neq; minorem opem tulisse didici in hystericis affectionibus & doloribus nephriticis, in Iliacâ etiam passione ipsâ (quamvis in hâc non semper exoptatus notetur eventus) in Epilepsiâ, Apoplexiâ aliisq; soporosis affectibus egregie paroxysmos discutit, sed opus est adstans famulus vel ancilla ut inflando ægri vices agat, quippe in hoc deficiente facultate. Et ita adultis æque ac infantibus opitulatur, quorum epilepsiam verminosam ex sententiâ inde solutam vidi, rejectis paulo post inflationem per vomitum & secesum lumbricis. In hydrope (præprimis vero tympanitide difficilius curationis) interdum commodo non vacat, nempe flatus inclusos quasi resolvit, serosam colluviem exsiccat, & segnem naturam excretionis officii admonet. In Dysenterîâ, Tenesmo, Fluxu albo mulierum, exsiccando viscidam materiam resolvendo, tonum partium restituendo egregia fecit, nec minori virtute egit in mensium suppressione, foetu mortuo & secundinis expellendis, in ipso quoque partu difficili promovendo. Neque contemnendam ex eo utilitatem perceperunt herniâ flatulentâ divexati, cum flatus intestinorum resolvat & tonum partium membranosarum relaxatum humores exsiccando restituat simulq; roboret. Hæc cum observassem à foliis Tabaci quibus ob sal volatile (quod penetrantissimum in se habet) egregia vis inest resolvendi, penetrandi, exsiccandi, cum forti quadam discussione, alia quoque pro suffitu experiri consultum ratus, extracta ex oleis foetidis & resinis balsamicis præparavi sale volatili scatentia, ad-

B

ditis